



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

81.
93

In honorem nuptiarum

IV VENIS HONESTISS.

IOHANNIS GRVBII,

VIRI ORNATISS. AC PRV-
DENTISS. Dn. FRIDERICI,

Oeconomiae & administrationi in arce
Serevestanae praefecti &c. F.

SPONSI,

Cum

Virgine pudiciss.

CHARITATE,

VIRI CLARISS. DOCTISSI

MIQVE Dn. M. BALTHASSARIS

Kiesvvetteri, illustris gymnasij Serv.

Professoris & Inspectoris F.

SPONSÆ,

Celebratarum A.D. X.II. mens. Sextil.

Iuliani.

Vota & carmina nuptialia nuncupata ab ijs,

quorum nomina suis singulorum ver-

sibus sunt adscripta.

SERVESTÆ,

Excudebat Iohannes Schleer,

Anno cto DC V.

18

JOHANNIS GRUBER
VIRI DOCTISSIMI
CUM
CUM

CHARITATE
VIRI DOCTISSIMI
CUM
CUM

1827
CUM
CUM



PIA VOTA,

IN HONOREM NVPTIA-

RVM, QVAS CONTRAHIT ORNATISSI-

MVS IUVENIS, IOHANNES GRAVBIVS, CVM

pudicissima virgine, CHARITATE, viri Clarissimi

M. BALTHASSARIS KIESVETTERI, &c.

Filia.



Conjugium fons est vita, morumq; thea-
trum,

Cultorum veri viva palaestra Dei.

Virtutum schola, qua curas docet, atq; labores,

Fortuna varias qua tolerare vices.

Sape quis ingenio molli, vel prae datus acri,

Ex thalamo multum se didicisse putat.

Res quia grata Deo est thalamus: benedicit amori

Legitimo, donat pignora cara DEV S.

Mentibus ipse etiam castis in se vit amorem,

Et thalami casti federa casta probat.

Ergo novos leti merito gratamur honores,

Sponse tibi casti, Sponsa tibiq; tori.

Gratia Sponse tibi nomen, dilectio Sponse

Indidit, omen habet commodum utrumq; toro.

E summo vobis benedicat GRATIA olympo:

Corda q; conjungat mutuus intus amor.

M. V Wolfgangus Amlingus:

συγχαίρω τῆς χαίρω.

Αἰνυμα γαμρὸν

Ex

Cantici Salomonis cap 8. v. 6.

CHARITAS, ut mors, fortis est.



Ortis amor, mors ut: desponsa Ecclesia
Christo

Altum suspirans, anxio corde, gemit.
Dic mihi, Sponse, velit quid mors affinis amor
Facta à rege, throni qui sapientis apex!
Mors à cognatis nos toto & separat orbe,
Ex nobis ipsis & remeare facit.
Solos à Christo non separat ista fideles,
Quem sunt complexi non dubitante fide.
Sponsorum casti pariter commercia amoris
Amborum pollent viribus atq; animis.
Atq; à cognatis cunctis secedere mandant,
Atq; his qui magis est charus uterq; parens.
Ex genioq; suo Sponsus migrare videtur
In CHARAE Sponsa peclus itemq; fidem.
Felices! nec amor, neq; mors quos separat unquam
A CHRISTO, huic potius copulat una fides.

M. Casp. Vlricus.

Ad

A D

Dn. IOHANNEM GRUBIVM,
IUVENEM HONESTISSIMUM
SPONSVM.

ὁδὴ ἀγοραφάντι ἦ



Vid auspicato nomine gratia
Insignis, & nunc amplius omine
Nupta beatus Caritatis,
Quid juvenis vetulum laceſſis?

Non est mea istis nunc mage lusibus
Idonea atas, quàm viola, comis
Qua sunt renodandis puella,
Flore caput decorent recalvum.

Quod postulas me muneris, hoc tibi
Persolvet, a vi cui viget integer
Cum mente sanguis, infideles
Nec socios miser experitur.

Huic cedo partes emeritus meas,
Laudesq; Sponsa, qua tibi jungitur
Teda ominosa, flos pudoris
Virginei, juveni haud pudendo.

Me vota votis jungere sit satis,
Dictante I salte qua mihi regio,
Hinc destinavi dona amicis,
Qui sibi cunq; ea postularint.

A 3

Affinis

Corde



*Affinis & his connubium tui
Donabat aetuis jam propè Iulius,
Nunc quina ter post lux redonat
Teq; tuamq; Grubi, maritam.*

**PSALMVS CXXIIX. VT
EXISTIMATVR, SOLOMONIS, COMMEN-
dans omnibus hominibus, & imprimis conjugibus, timo-
rem Dei, & manuum laborem, utrumque ad vitæ be-
atitudinem summoperè necessarium.**



Ter beatum, quem timor intimo
Tangit Iehovæ pectore, nec sacra
A lege divorsum in salébras
Deviis insinnavit error!
O te beatum, quisquis es, aut eris!
Nam sorte quamvis paupere sis, tui,
Illo favente, te laboris
Fenus alet. Facilem ille abundè
Victum refundens, ut bene sit tibi,
Cornuque pleno copia suppetat;
Rumore vortant ut secundo,
Cuncta operum tibi prosperabit.
Ceu vitis arctans palmite conjuge
Vlmos maritat; ceu viridi domum
Incingit amplexu stolonum:
Sic tua te sobolis feraci
Stipabit uxor germine liberum,
Mensam ambientum; termite uti suam,
Non mentiente spem coloni.
Arborem oliva onerans renodat.
Hæc sunt, Iehovam qui timet, hæc viro
Promissa vitæ comoda, quæ manent,
Eventibus rerum invidendis.

Corde

Corde Deum ingenuo colentem.

Arcis, Ichova, è sede Sionæ
Lauto bonorum te cumulo obruet,
Vrbemque, qua sedem locasti,
Commoditate beabit omni.
Florente pacis quò Solyma ubere,
Atque Israëlî incolumi statu,
Natosque natorumque tecum
Progeniem aspicias beatam.

Gregorius Bersmanus.

Ex cap. 13. prioris epist. Pauli ad Corinth.



In linguis hominum loquar, aut voce æmuler ipsos
Cœlestis aulæ nuncios sive angelos,
Et nullas foveam gelido sub pectore flammæ,
In proximum nec exerat se Charitas,
Aeris ad instar ero resonantis inanè, levesque
Tintinnientis cymbali dederò sonos.

Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur,
Si forsitan sit nôsse traditum mihi:
Si me non lateant mysteria cuncta, profundo
Si corde scruter inquierus omnia:
Si miracula edam, si facta stupenda patrando,
De sede montes atque colles transferam:
Et mihi nullus amor sedeat sub corde maligno,
Hili instar essem, imago vana, somnium.
Si larga saturem dextra, quos urget egestas,
Vrenda sponte membra si tradam rogo:
Nec tamen ignescat iusto mihi pectus amore,
Infructuosum arare littus postulem.
Ferre jugum patiens, comis, facilisq; roganti,
Livore ab omni Charitas est libera:
Non se perversè gerit, aut inflata superbit,
Non indecenter Charitas quicquam facit.

Non

Non lucri cupida aut vanam proclivis ad iram est,
Nec crimen alto corde Charitas fovet.
Recta & iusta probans observantissima veri est,
Mendacii inimica valde Charitas.
Verus amor nunquam tenues deflagrat in auras,
Ignara finis atque mortis Charitas.
Pessima quæque pati suevit, suffertque libenter,
Ad Spem Fidemque prona pender Charitas.
Imò, Spemque Fidemque ipsam supereminet, inter
Et Spem Fidemque Charitas est maxima.
Hæc quondam docuit Tarsensis Apostolus ille,
Quæ mentione, ô CHARITAS, nominis tui,
In mentem par est revocare hac luce diei,
Quo fata jungunt conjugii te GRV B I O,
Nominis ut memor ipsa tui, debere marito
Te Charitatem mutuam discas tuo.
Verùm, quod moneo, tu jam facis, estque marito
Tua Charitas benè nota, & auro charior.
Te Charites finxere manu, te grata venustas
Virtusque ditat, dotat, ornat plurima,
Quas in te dotes, precor, ut Iehova vigere,
Sobolique faxit inferi porrò tuæ.
In te ceu Genitor virtute insignis & arte
Insevit illas, mater atque sedula
Auxit, te effigiemque sui post fata reliquit,
Per teque falcem mortis ac fugit rogam.

M. Ioh. Theopoldus

ALIVD.



Mnis amor magnus, sed maximus ille jugalis:
Qui quoque conjugio felicibus advolat alis
Cara soror, simul affinis carissime, vestro.
Gaudia qui vobis, qui fortia vincula portat,
Vincula, quæ maneat semper, dum tarda senectus

Inducat

Inducat rugas, multam prolemque ministret.
Non autem miror, potuisse placere benigne
Sponse, tibi Charam jucundâ voce puellam,
Cui fatale dedit sacra Gratia nomen & omen.
Non etiam mirum est, tibi posse placere IOHANNEM
O soror; ut pariter cui fecit Gratia nomen.
Faxit at ipse DEVS, non unquam nomine verso
Fiat amarus amor, sed multo floreat ævo,
Inque Deo mens una sit, unus amorque, voluntas
Vna sit, & pietas in religione salutis.
Nam cui cura Deus, virtus cui cura parentum,
Hic est, hic curæ semper tibi, CHRISTE, manebit.
Ast velut hoc vitæ genus haud caret usque dolore:
GRATIA sic superùm, precor, omnia vincat amara.

F. Fr. Sponsæ

Balthasar Kiesvvetter I. V. L.

AD VIRVM CLARISS. DN.

M. BALTHASARVM KIESVVETTERVM,
ILLVSTRIS GYMNASII ANHALTINI, QVOD

est Servettæ, Professorem & Inspectorum, duas elocantem

filias, alteram 29. Iulij, alteram 12. Augusti,

Anno cis MC. V.

KIESVVettere Novenarum jubar acre sororum,
Vnde Phanes aliud lumen Apollo trahat.
Ipse nimis cœlebs (quod ut omen fugeris, opte)
Sacra tamen Veneri non reprobanda facis:
Sic erat, ut Paphius peteret tua tecta Cupido,
Dum vacuâ, scires subdere fulcra, domo.

B

Progeniem

Progeniem penetravit amor, nisi fallimur, omnē
Quaq; dedit telis Vulnera, levit amor.
Corripe de medio, teq; imis abde latebris,
Dum poscit suboles, qua subiere, sequi.
Si vitare pharetrati tormenta puelli,
Et cupis à gemino libera colla jugo;
Non possis; contra fors & iactura Rei stat,
Quam nisi subsidio sustinuisse; grave est.
Mille subintrantes lacerabunt viscera cura,
Quas animo viduus non abolere queas.
Cetera subiticeam, ruerent consortia vita,
Nam sine conjugio mundus Eremus erat:
Ergo desertis solatia consule rebus,
Quidq; juvet, gelido deniq; redde toro.
Redde foco, pecoriq; tuo, famulisq; regendis,
Et qua tuta fide conjugis esse solent.
Polliceor seros ducturum molliter annos,
Et fore propitio prospera cœpta Deo.

Amicitia exercendæ & bene præ-
candi causa.

Ioann. Fonsterus Medicus
Reipub. Cothen. scr.

A L I V D.



Reis VENERI Charitas perhibent adstare Poëtæ,
Quæ sacra conjugii pingere jura queant.

Laticiam

Læticiam Euphrosyne, speciosum Aglaja nitorem,
Perpetuo THALIAM flore Thalia refert.
Quot bona nominibus veniunt quot commoda paucis?
Virtutes quantas parvula verba notant?
Sunt Iove prognatae, cœlesti stirpe sorores,
Eurynomaque, Deâ de genitrice, Iatæ.
Conjugu est auctor sanctus, fautorque Iehova,
Et pia cœlesti de Patre virgo datur.
Lege torus constat: longè lateque iugalis
Vtilitas tædæ spargit in orbe iubar.
Sunt iuvenes semper: senescit licet omnia, verus
Sincero nunquam corde senescit amor.
Sunt sexa imbelles, sunt condicione puellæ.
Vis, furia, arma, furor sint ab amore procul.
Et quia sunt nudæ, non fraus, non fucus amantes,
Sed niveus candor Simplicitasque decet.
Sunt nexæ digitos: ut ameris, amabilis esto!
Quodque Plato iussit, ΣΠΕΝΔΕ frequens ΧΑΡΙΣΙΝ!
Quippe Sophocleo sententia nota cothurno:
Gratia foeta parit, Gratia foeda perit,
Aversam geminæ aspiciunt: Ne, ne omnia cernas!
Vel thalamo abstineas dissimulare negans!
Addita præterea teneris talaria plantis;
Quod volucris ingratae sint in amore mora.
Gaude, SPONSE, tuâ! Charitumque nomine gaudens
Nympha, TRIPLEX uno pectore numen alit.
Quæque DEI Eunomia que sacratum in corde sacellum
Castellumque sacri casta Pudoris habet.
Quod neque vi luperes, neque prodicione, vel astu:
Vincere sed si vis, vince Pudore pari!
Sat bellis, Belgicque datum; Mavortius ille
Hic ubi Mauritius Numine victor, ovat.
Arma togæ cedant! aliam Deus ipse, Diesque
Vitam, alios mores postulat, atque virum.

311V

B 2

Sic

Sic Charitos referes nomen virtute, IOANNES;
Ioannisque geret nomen honore CHARIS.

ALBERTVS VOITVS

CalMusar Servestan.

Ἰουμῶ χαριτων ἀειζω ε.

ALIVD.



Prima CONIVGIUM res est, qui noverit uti;
Quiq; intrat thalamum prospiciente DEO.
Eius uti fines sunt multi: ita nec pede sicco
Iste inter reliquos prætereandus erat:
Quod velut Antidotus vetito medicatur amori,
Cœlestique vagas proluit imbre faces.

Præstat enim thalamum duo pectora rite subire,
Quàm Paphiæ matris furta dolosque sequi.

Ergò, uti vitetur turpis confusio morum,

Quisque vir uxorem, Fœmina ametque virum.

Est Deus impuri iudex, vindexque furoris,

Atque impura gravi fulmine corda ferit.

Res liquet exemplis: quorum Latia, atque Pelasga,

Quorum plena sacris sunt monumenta libris.

Hæc, GRVBENE, ergo, affinis carissime! tuque

Chara soror! vero nomine reque CHARISI

Hæc, quia vobiscum vestra expendere parentes,

Et finem spectant fœdera vestra bonum:

Gratulor hunc vobis animum, nobisque vicissim

Hæc nexus: simul & fata benigna precor.

Vivite felices, concordia pace quieti,

Dulcis in amborum pectore crescat amor:

Quodq; sacrum Christi subiistis imagine fœdus,

Conturbent falsis nubila nulla dolis.

Vive tuâ affinis lætus consorte IOANNES,

Atque age Nestoreos; tempora longa, dies.

Vive soror, coniuncta CHARIS carissima Sponse,

Iustaque Cumæ sæcula vatis age.

Vivite

Vivite concordi felicia pectora lecto,
Et stet in æternos copula vestra Dies.

Iohannes Kiesvetterus,
Sponsæ frater.

A L I V D.

Sponse facis rectè, castæ quod fœdera Sponsæ
Iungis, sic castis grata Deoque facis.
Nam DEVS est mens casta, & castos diligit ignes,
Inspirat tales, qualis & ipse, faces.

Vt duo legitimè carnem iungantur in unam,
Hæcque illum castâ religionem colant,
Sic bene ditescant, atque omnia prosperè cedent
Illis, felices aurea secla gerent.
Ecce; homo sic bellè vivit, Christo auspice vivit,
Qui bene scit toto fidere corde DEO.
Vxor cara illi bellè sua limine cinget,
Multa illi & soboles, multa propago simul,
Vera salus illi Solyinæ, pax atque Sionis,
Natorum natos agmina bella fovet.
Vivite felices, numerosâ prole replete
Sponse & Sponsa, torum, Nestoreosque dies.
Vivite felices, suscepti & carpite voti
Non interrupto gaudia sine, precor.
Donec pallenti claudatis lumina morte,
Et superi faciem mens volet ante Dei.
Nullus ubi torquet mordanti pectora luctu,
Impediet mora nec gaudia vestra dolor.

Amicitia pristina & observan-
tia ergo

Ernestus Trencelius Bern-
burgensis F.

Aurore

1711

Dicebam, tacitos amoris ignes
Occultosque Cupidinis leveri
Etus, tandem aliquando noster ille
Miles, flosculus optimæ juventæ
ianus sentiet, & gravi perustus
Igni Acidalio manus puellæ
Victas porriger, herbulamq; mitteret.
Ecece victus es, ô miselle, quem nec
Hispanus sitiens pui eruoris,
Nec Belgæ spoliis suis superbi
Vincebant. Sed enim jacet jacebit
Et semper jaceat reposta fidis
Sub cordis penetrabilibus, placentque
Præ cunctis tibi CHARITAS puellis
PERCARISSIMA. Nam precor, quid vda
Exposcunt tibi basiationes,
Risus, sibilique & leves susurri
Et morsus, & anhelitus frequentes.
Partem abraderè dum cupis, premitq;
Et CARIS juvat immortali labellis.
Certè victus es, ô miselle, vincitum
Te sub imperio tenet puella.

Quæ verò medicina, qui trochiscus
Quod tantum potest levare morbum
Correpti antidotum viri, profecto
Nosti Nam tibi quis ministrat illud
Consultum, medicamen ut puellam
Vulneri admoveas tuo, doloris
Quæ causa extirrit una, quæq; thyrsis
Percussit graviore cordis arcam?
Rectè pergis Erit tibi levamen
Et curas abiger tuumque morbum.
Sic, ut fama refert levat dolorem
Prior Scorpio qui dedit dolorem:
Et quæ Cuspis lasonem scribat;

Hæc

Hæc ipsi medicamen afferebat,
Tu qua virgine vulneratus ipse es,
Ipsa hac virgine senties medelam.
Quocirca precibus DEVM fatigans
Opto, mensibus ut novem peractis,
St: sequentia noveris. Cubili
Non Hymen Hymenæus almus absit.

Μυμνησχευ de properabam

Beraburgi die Augusti

sexto, Anni 1607.

Tobias Herovigius P.C.

A L I V D.

DVm tibi, Sponse, pro gratularier impare tædas
Carmine, quod Pietas me iubet atq; Favor,
Obruor, ingenti laudum percussus acervo,
Quas video vestrum condecorare torum.
Hinc, quid Ego sando percurram, quidvè tacendo
Præteream, dubius mente animoque feror:
Ac, veluti si quis pictum ingrediatur in hortum,
Iucundum vario flore & odore nemus,
Quod sibi decerpit germen, quod præferat, hæret;
Quod sensu possit gratius esse suo?
Haud aliter, si magna licet componere parvis,
In dubium, vestrum laude utriusq; feror.
Nam, si me potius laudes, si magna parentum
Facta, licet paucis, commemorare juvet:
En cumulum! Et maiora quidem, quam quæ mea possit
Compleri versu Musa tenella brevi.
Cui non nota tui Patris est prudentia? cui non
Notus amor Recti, Iusticiæque Fides?
Hinc præfecturam Anhaltini in Principis aulâ
Illustri, magnâ non sine laude gerit.

Quis

Quis Soceri digno Doctrinam carmine Clari,
Quis divina latis facta referre queat?
Testis erit Laudum Schola Publica, testis Anhaltum,
Doctrinam pubes incluta testis eris.
Testis Ego: Novi, quoties me fecerit auctum
Consiliis, quantis juverit auxiliis.
Hinc & apud memorem stabit bene gratia facti,
Nec longam pietas excidet ista die.
Iam, quia magnanimus timidam haud Leo procreat agnam,
Squilla nec scilicet nascitur ulla rosis:
Quis dubitet Sponsam virtute æquare parentem?
Insigni Sponsam quis pietate patrem?
Nondum, Sponse, genas vestibat flore juventa,
Militem tentas & grave Martis opus.
Gratulor ergo tibi de tali, Sponsa, marito,
Grator de tali virgine, Sponse, tibi.
Intretis thalamum Christo Duce & Auspice Christo,
Haud turbet vestrum luxu dolusue torum.
Iova DEVS pulchram faciat vos prole parentes,
Quæ superent matrem, quæ superentque patrem.

D I S T I C H O N

*Annum, Mensem & Diem Nuptiarum
exhibens.*

CLara poLo CLaræ AVgVsto Vr LVX fVLget In orbe,
Cara Dat Vr lano Deblta Virga Viro,

In grati animi testificationem elegos
hoste conferibebat

Petrus à Ihena Servestanus,

F I N I S.

№ 1996.

8

U

ULB Halle 3
 002 063 808



Sh

nicht aufg., da unvollst. u.
nicht zu ermitteln!

28 a / 50 / 1996 /

U 8 17

M

DX

